Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2173
Quelle:
Copyright:

dux ipſe de genibus precabundus conſpicitur. Saepe etiam occurrit *mihi famulo tuo F. me famulum tuum F.* &c. Ultimae ſunt Preces feſtae ſecundum ordinem Menſium et *Romanam et Pragenſem Rubricam*, quo loco *Pragenſem* notari conjicio, quod Archidux junior in Patris familia ſaepius *Pragae* ageret, ibique Preces hae primum ſcriberentur; nam in praeſenti Exemplo jam virili forma depictus eſt. Iſtud porro ſcriptum eſſe labaſcente jam Patris valetudine, argumento eſt Oratio *fol.* 215. *pro infirmo noſtro Imperatore Ferdinando.* Quodſi Picturae artificium Scripturae elegantiae aeque reſponderet, non dubitarem totum Codiculum referre ad *Hoefnagelium*, cujus ſplendidiſſimum *Miſſale* hoc *Vol.* retuli.

DCCCCV.

C. 946 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 347. 4. min. luculente et eleganter perſcriptus, literis initiorum pulcre deauratis, depictisque, tum ſacris Iconibus ultra XL. partim integram, partim mediam paginam occupantibus exornatus, quondamque *Halenſis* Parthenonis in *Tyroli*, Liber *Precum* eſt hunc in modum coaptatus: Praeit *Calendarium* adpictis, ut ſolet, laboribus menſtruis, et Signis *Zodiaci*, ad quae id ſingulare, quod Signo cuivis addita ſit Hominis nuda figura, quae a plerisque illis animalibus, puta *Piſcibus, Ariete* &c. quin et *Geminis* dire tractatur. XII. *kal. Mart.* adſcriptum: *Adam hic peccauit.* Ceterum multa SS. nomina primae manus *Galliam* reſpiciunt; infarcta vero a ſecunda *Translacio Erici, Anſgarius, Sigfridus, Ericus, Eſchillus, Botulphus, Brigittae Obitus, Botwidus, Olaus,* et *Brigittae Canonizatio Suecum* ſubparem poſſeſſorem arguunt, ut adeo *Codex* hic fortaſſis in *Chriſtinae* Reginae comitatu delatus in *Tyrolim* fuerit. Initium ei dat *Pſalterium*, inter cujus picturas memorabilis eſt illa *Pſalmo* XIII. *Dixit Inſipiens* &c. praefixa *fol.* 65. Inſipientis Deo e nube prominulo et minanti dextra fuſtem intentantis, ſiniſtra, neſcio quid, lapidis inſtar ſtringentis, et circum pedes a canibus impetiti; item illa *fol.* 96. p. 2. *Davidis* ſeriem tintinnabulorum 7. gemino malleolo percutientis. A *fol.* 165. p. 2. ſequuntur reliqua *Cantica* Biblica cum SS. Litaniis, Matutinum officium et Laudes de B. V. *Maria*, Commemorationes de Trinitate, S. Spiritu, Cruce, et variis Sanctis, quae *Memorie* ſive *Iſtorie* inſcribuntur, et Icones praefixas habent, reliquae Horae de Beata, de Paſſione Domini, de S. Spiritu, Pſalmi Poenitentiales, Officium Defunctorum, Horae de Trinitate, et de S. Anna. Haec pietatis exercitia in uſum Reginae cujusdam deſcripta fuiſſe, credibile mihi facit Icon quinquies repetita Feminae coronatae eodem habitu et veſtitus colore coram Deo, aut B. V. genuflexae, quae cum ſemper tapeti caeruleo liliis aureis conſito incumbat, ſemel